



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.


Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

Qvæstio I. Vtrum Deum esse, sit per se notum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)



R. P. MARTINI
DE ESPARZA
ARTIEDA,
SOC. IESV,
CURSVS THEOLOGICI
TOMVS PRIMVS.



LIBER PRIMVS.

DE DEO VNO, ET TRINO.

QVÆSTIO I.

*Utrum Deum esse, sit per se,
notum?*

VIDETVR esse per se notum 1. Quia illæ veritates, sunt per se notæ, quarum cognitio, & assensus non discursu, & disciplinâ comparatur, sed omnibus naturaliter, ac necessariò inest. Talem autem esse cognitionem, & assensum existentie Dei constat ex claris testimoniis Gregorij Nazianzeni orat. 24. quæ est in aduentu Egyptiorum Damasc. lib. & c. 1. de fide, aliorumque Sanctorum PP. apud Falsolum q. 1. art. 2. à n. 9. Et confirmatur ex illo Iob. 36. 25. *Omnes homines vident eum*; Id est, omnibus hominibus naturaliter innotescit clarè, tanquam videntibus, Deum esse, ubi videndus est Hieronymus. Ergo Deum esse, est veritas per se nota.

2. Conceptu, & nomine Dei ab omnibus intelligitur, & significatur id, quo melius concipi nihil potest, ut docent discretè August. lib. 1. doct. Christ. c. 7. initio, & fine; Bernard. lib. 5. de considerat. ad medium, & Richardus de Sancto Victore lib. 1. de Trinitate cap. 20. Apparet autem spontè ex terminis, maius esse, quod est in re, & in intellectu simul, quam quod est solum in intellectu. Ergo apprehendenti Deum, ac proinde per-

R. P. de Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

cipienti adesse in intellectu id, quo melius cogitari non potest, protinus apparet ex terminis Deum esse à parte rei. Quo fundamento utitur pro hac parte Anselmus in lib. contra insipientem, & in Profol. c. 3. & 4. & post Anselmum Albertus Magnus, Abul. Al. tis, & alij nonnulli.

3. Aliquæ veritates sunt per se notæ, ut constat ex 1. Post. cap. 3. Nulla autem veritas potest cuiquam esse per se nota, quin eidem sit per se nota essentia veritatis. Atqui Deus est ipsa essentia veritatis, ut habetur ex 14. Ioan. 6. *Ego sum via, veritas, & vita*. Eodem ferè recidit; per se notum esse, dari veritatem à parte rei. Quia illud est per se notum, cuius negatio continet in se affirmationem eiusdem. Propositio autem negans dari veritatem à parte rei, eo ipso affirmat verum esse non dari veritatem à parte rei; ac proinde affirmat eo ipso dari veritatem à parte rei; Quandoquidem abstractum includitur formaliter in suo concreto. Cum ergo Deus sit ipsa veritas, per se notum est dari Deum à parte rei.

4. Per se notum est dari ens necessarium à parte rei. Per se notum namque est quodlibet esse vel non esse, necesse esse. Et similiter est per se notum, quodvis necesse esse, vel esse identificatum cum ente necessario, vel fundari in ipso ente necessario; Cum omne necesse esse, aut per se ipsum tale sit, aut ratione alicuius necessarij essentialiter præsuppositi. Per se igitur notum est, dari ens necessarium à parte rei. Ens autem necessarium omnes dicimus Deum.

Articulus 1. Respondetur. Veritas per se nota, ut colligitur ex loco indicato Posteriorum, dicitur illa, cuius termini rectè apprehensi determinant se solis intellectum ad assensum ipsius; sicut præmissæ evidentes, cuicumque legitime innotescunt, deter-

A minant

minant ad assensum conclusionis. Tales veritates sunt; Quodlibet esse, vel non esse; Omne totum esse maius sua parte. Quia videlicet impossibile est illis non assentiri cognoscentem quid sit esse, & quid non esse: quid sit totum, & quid pars. Consequenter veritas per aliud nota, seu non cognoscibilis, nisi per aliud, est illa, ad cuius assensum, præter legitimam terminorum apprehensionem, opus est aliquo alio principio. Tales veritates sunt: Petrus existit; Stellæ sunt paræ. Quia cognito quid sit Petrus, & quid existere: quid sit stellæ, & quid numerus par, adhuc de illis dubitari potest.

Art. 2. Hinc fit, eandem veritatem posse esse per se notam secundum se, & respectu alicuius: simulque comparatiue, & respectu alicuius alterius esse notam tantum per aliud. Quia nimirum termini ipsius sunt inuicem essentialiter connexi, atque vni innotescunt quidditatiue, alij vero minime. Quæ differentia eiusdem veritatis accidere potest etiam respectu eiusdem intellectus diuersimodè instructi pro diuersis temporibus. Vnde rursus colligitur aliquas veritates esse per se notas sapientibus, quas insipientes, non nisi per aliud cognoscere possunt. Quia videlicet sapientes cognoscunt quidditatiue plures terminos, quos non ita cognoscunt insipientes. Colligitur denique eandem veritatem etiam respectu eiusdem intellectus, & pro eodem tempore posse esse per se notam sub vno conceptu, & sub alio non nisi per aliud. Quia aliqua eius prædicata cognoscuntur quidditatiue, & perfecte, incognitis, aut non sic cognitis aliis prædicatis. Ita hominem esse animal est per se notum pluribus, quibus non est per se notum hominem esse agens liberum, aut esse subiectum capax beatitudinis æternæ.

Art. 3. Nomine Dei communiter intelligitur ens optimum maximum; seu summum, & infinitum bonum; primum principium, & vltimus finis rerum omnium; Author & gubernator totius vniuersi; supremus iudex vivorum, & mortuorum, & similia. Certum iam est esse per se notam respectu nostri existentiam Dei sub multiplici conceptu reipsum conuertibili cum iis prædicatis, quæ modò enumerata sunt; licet non sit per se nota conuertibilitas cum ipsa. Per se notum namque est, aliqua esse possibilia, vt quodlibet esse vel non esse; alia vero impossibilia, vt idem simul esse & non esse. Eiusdem rationis est, dari aliquem finem vltimum hominis, & bonum beatificum respectu eiusdem; cum omnes absque discursu necessariò velint esse beati, atque idè adsequi bonum suum beatificum, suumque vltimum finem. Quod fieri non potest absque præuio assensu ex sola terminorum apprehensione conceptu, quod datur bonum beatificum, & vltimus finis. Omnium autem possibile, & impossibile tum possibilitas, tum impossibilitas est identificata realiter, & conuertibilis cum Deo, vt dicitur infra. Idemque dicitur de vltimo fine, & bono beatifico in quæstionibus de Beatitudine. Verum non est per se nota identitas hæc, & conuertibilitas, constituentibus nonnullis beatitudinem, & vltimum finem in diuitiis, inque aliis eiusmodi; & opinantibus aliis repugnantiam, & non repugnantiam rerum extra Deum esse. Queritur ergo; an sit per se notam Deum esse sub aliquo ex prioribus illis conceptibus, aut sub aliquo alio, cuius conuertibilitas cum illis sit per se nota.

Art. 4. Dicendum est cum D. Thoma q. 2, art. 1. aduersus Scotum, & alios, veritatem istam, *Deum esse*, esse per se notam secundum se; id est (nè sit quæstio de vocibus, qualis irrepsit nonnullis contradicentibus D. Thomæ) tantam, & talem esse connexionem à parte rei inter hoc subiectum *Deum*, & prædicatum istud

esse, seu *existere* quanta, & qualis connexio datur inter ista subiecta, quodlibet, totum, homo; & ista prædicata, *esse vel non esse, maius suâ parte, animal rationale*. Quia Deus essentialiter est suum esse, suæque existentia, & summa qualitas exercita, vt patebit q. 3. & 4. atque adèd subiectum huius propositionis, *Deus est*, connectitur essentialiter cum suo prædicato. Quæ connexionem nulla maior esse potest, ac proinde nec magis ex se sufficiens ac idonea, vt apprehensiones terminorum se solis necessitent intellectum ad assensum propositionis. Ergo si cui intellectui non est per se notum Deum esse, id non prouenit ex defectu connexionis inter subiectum, & prædicatum, vt sunt in se à parte rei, sed ex defectu intellectus non valentis apprehendere sufficienter, seu quidditatiue, aut subiectum, aut prædicatum, aut vtrumque. Quæ est intentio realis D. Thomæ, quidquid sit de vocibus, quibus vtitur, & nos vtimur cum ipso, & cum communiori loquendi modo cæterorum.

Art. 5. Dicendum est rursus cum eodem D. Thoma, cum Scoto, & aliis communiter aduersus D. Bonauenturam, & paucos alios, eandem veritatem non esse per se notam respectu nostri. Quia dum sumus in via, non possumus cognoscere Deum, nisi per species rerum creaturarum. Vnde manifestum est Deum tum secundum se, tum secundum quolibet prædicatum propria ipsius, innotescere nobis non per se, ac immediatè sed mediatè tantum, & per illud quoad simplices apprehensiones ipsorum. Simples autem apprehensiones mediata, circa vnum obiectum subortæ ex speciebus alterius obiecti non possunt esse clare, perfecte, & sufficientes ad conuincendum intellectum, circa obiectum mediatè apprehensum, quoad excessum ipsius, respectu obiecti immediatè cogniti, sed tantum quoad prædicata vtrique communia. Alias enim superarent perfectione representandi virtutem, & actiuitatem sui principij: quod est impossibile. Licet ergo sit nobis per se notum, quoad assensum, Deum esse, vel non esse; quod est ipsi commune cum creaturis; non tamen est per se notum Deum esse, seu Deum ex suo conceptu esse determinatum, vt existat, minimeque indifferentem, vt non existat. Quia hæc, ex suo conceptu, determinatio ad existendum constituit excessum Dei respectu creaturarum, non secus, ac esse omnipotentem, æternum, &c. Veritas ergo existentia Dei solè per discursum innotescere nobis potest, non secus, atque hæc alia eius prædicata. Quod confirmabitur variis testimoniis q. sequenti, præsertim art. 2. & 3.

Ad 1. Vt dicatur cognitionem Dei inesse omnibus naturaliter, sicut dicitur à sanctis PP. omnesque videre Deum, vt habetur in libro Job, sufficit omnibus inesse principia aliqua per se nota conuertibilia reipsum cum Deo, ex quibus per demonstrationem facile obuiam, ac vix perceptibilem, omnes, aut ferè omnes necessariò assequuntur eam cognitionem, seu potius incidunt in ipsam, prout quæ sequenti apparebit reipsum contingere. Hic igitur est sensus Sanctorum PP. & interpretum illius loci. Quibus certè cura non est; an existentia Dei sit per se nota secundum rigorem logicum, & definitionem Philosophi; an verò moraliter solum, & æquiuaculenter.

Ad 2. Propositiones, quarum subiectum est terminus complexus, non possunt esse per se notæ, nisi in sensu conditionali, apud eum, cui non est per se nota coherentia, & connexio mutua terminorum simplicium, ex quibus constat ille complexus. Quia non potest esse notior connexio prædicati cum subiecto, quam connexio partium subiecti inter se. Quod apparet clare in his; Petrus curius mouetur: Petrus albus est dissimilis Æthiopis in

Quæstio II. De notitia Dei:

3

in quibus non propterea est per se notum, Petrum moveri, aut esse dissimilem Æthiopi. Hoc autem subiectum: *Id quo melius cogitari nihil potest*, est terminus complexus, ut patet ex se; & coherentia partium, ex quibus constat, non est per se nota. Quia continet in se excessum notatum in art. 5, respectu omnium creatorum. Ergo in sensu tantum conditionali est per se nota existentia Dei sub eo conceptu; nempe, si est possibile aliquid, quod melius cogitari nihil possit, id utique existit; si minus, talis cogitatio erit mera fictio; & esset deterius, si eius obiectum simul esset in intellectu, & à parte rei. Quod quidem apparet clarè in cogitante Deum meliorem, quam qui existit de facto. Quare etiam si ea ratio sit subtilis, eisdemque valde fidat Anselmus, solida tamen nequaquam est, ut advertit D. Thomas supra.

Ad 3. & 4. Est quidem per se notum dari veritatem secundum dici, seu logicè sumptam, & consequenter dari aliquod similiter necesse esse; non tamen est per se notum dari veritatem, & necessitatem essendi physicè, ac metaphysicè sumptam, prout est convertibilis cum ente reali in se intrinsecè existenti. Et rursus non est per se nota identitas, & convertibilitas, aut veritatis, aut necessitatis prioris cum posteriori. Quod sufficienter apparet ex probationibus utriusque argumenti. Quia sunt plures Authores, qui negent veritatem, & necessitatem obiectivam, quibus nititur veritas formalis earum propositionum, esse identificatas realiter cum Deo, aut fundari in divina essendi necessitate, ac veritate; & dicunt utramque constitui adæquate per prædicatam veritatem in se intrinsecè, ac essentialiter talia, improprie tantum, & secundum quid existentia, nec dependentia à Deo villo pacto. Quando autem Deus dicit se esse veritatem non prædicat de se essentialiter veritatem sumptam logicè, & secundum dici, sed primam veritatem in essendo. Eadem est ratio de necesse esse iuxta distinctionem datam. Nentrum igitur argumentum pertingit scopum questionis præsentis, licet assumat principia sufficientia ad scopum quæstionis sequentis, ut apparebit ex dicendis; quidquid reniti videatur Caietanus dicto articulo primo circa tertium D. Thomæ.

QVÆSTIO II.

Virum existentia Dei sit certa ex fide, atque evidens?

M I D E T U R nec esse certa ex fide, nec evidens; sed incerta, & tantum probabilis. 1. Quia scientia, & fides de eadem veritate sunt invicem impossibiles, ut liquet ex quæst. 25. de Virt. Theolog. Ergo veritas existentia Dei non potest simul esse certa ex fide, & evidens ex ratione.

2. Revelationes divinæ, ne perperam fiant, quod repugnat, solum fieri possunt in subsidium intellectus humani insufficientis ex se ad assequendum veritates, quæ sibi revelantur à Deo. Repugnat igitur Deum revelare se existere, si hoc potest assequi homo evidenter per rationem naturalem; & è converso.

3. Unum ex præcognitis essentialiter requisitis ad actum fidei divinæ, est existere Deum. Quia nemo cuiquam credere potest, nec ejus testimonio moveri ad assensum, quin præcognoscat ipsum existere. Præcognita autem requisita ad actum

R. P. de Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

fidei non cognoscuntur per ipsam fidem. Repugnat igitur, ut credatur fide divina Deum existere.

4. Causa non potest evidenter demonstrari per effectum sibi improporionatum, quatenus improporionatus est. Quia cognitio rei imperfectioris non potest præcontinere in se cognitionem rei perfectioris, quatenus perfectior est; quandoquidem cognitio obiecti perfectioris est & ipsa perfectior; atque perfectius in minus perfecto præ contineri non potest. Effectus autem creati, qui sunt quid finitum, sunt omnino improporionati Deo, qui est infinitus; cum finitum ad infinitum nulla sit proportio. Ergo Deus non potest evidenter demonstrari à posteriori per effectus creatos. Manifestum autem est, quod nec à priori demonstrari possit; cum nihil sit prius Deo.

5. Non convincitur evidenter, regnare mutua causalitatem in eodem genere; quam videlicet tueretur probabilem plurimum Authorum opinio. Posita autem mutua causalitate in eodem genere, probabiliter rursus defenditur universalitatem rerum omnium productarum subsistere per solam mutua aliarum ex ipsis causalitatem in alias. Ergo non potest probari evidenter à posteriori ex creaturis necessitas, & existentia Dei. Notatum autem modò est, ex omnium consensu demonstrari aliunde non posse istam veritatem. Ergo nullatenus probari potest evidenter Deum esse.

6. Argumenta omnia, vel certè præcipua quibus Aristoteles, & D. Thomas, alique Magni authores probant existentiam Dei, incidunt in infinitam seriem causarum, ac rerum, cuiusque negatione nituntur. Argumenta autem, quæ resolvuntur in affirmationem, aut negationem infinitæ eiusmodi seriei, non possunt quietare, aut claritate evidentia illustrare intellectum humanum: Quia intellectus humanus, cum sit capacitatis finitæ, obruitur consideratione infiniti, nec potest efformare de ipso ullum conceptum clarum, & evidenter. Ergo eiusmodi argumenta non possunt continere in se, ac gignere veram evidentiam demonstrativam. Cetera autem sunt inferioris conditionis indicio Philosophi, ac D. Thomæ, idèque, & re ipsa.

7. Argumenta Christianæ fidei non sunt inferioris conditionis, quam argumenta naturalia existentia Dei, ut auctoris naturalis. Quod facile apparebit conferenti, quæ habentur q. 18. de Virt. Theolog. cum iis, quæ communiter producuntur in præsentia. Et suadet præterea, quia ordo supernaturalis, nulla ex parte, est minoris proportionaliter sufficientia, ac perfectionis, quam ordo naturalis. Nec est rationabile, aut facile credibile fore, ut homini puro patentius innotesceret suus ultimus finis, quam homini elevato; & quod hic sit constitutus in maiori periculo aberrandi intellectualiter ab scopo suo, quam foret ille. Argumenta autem Christianæ fidei solum gignunt evidentiam credibilitatis mysteriorum fidei, & existentia Dei, ut auctoris supernaturalis, non verò evidentiam ipsarum rerum, ut est certum apud omnes. Argumenta igitur rationis naturalis, nec ipsa sufficiunt ad evidentiam metaphysicam de existentia Dei, ut auctoris naturalis, sed solum ad evidentiam quandam moralem, nempe ostendendo, cum evidentia metaphysica, non posse negari existentiam Dei, aut in dubium revocari, nisi imprudenter, stultè, ac impie. Quæ est sententia Calahj l. 1. de Quatrup. cap. 16. cum Alliacensi, Gabriele, & nonnullis aliis. Quibus videtur annuere Nazian. Orat. 2. Theolog. dicens: *Nimis absurdum, & præposterum est, qui non credit argumentis naturalibus, & inficitur Deum esse.* Sicut enim absurditate præposterâ resistitur argumentis, ubi adest evidentia moralis; ita neque cum

A 2

absurdi